DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

CHOLERA.

DISSERTATIO MEDICA

D. GEORGII BAIRD, SS. T.P.

INAUGURALIS

CHOLERA,

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE
CHOLERA;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GEORGII BAIRD, SS. T.P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu,

Et nobilissimæ FACULTATIS MEDICÆ decreto;

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini subjicit

ARTHURUS EDMONDSTON,
SCOTUS,
REG. COL. CHIRURG. EDIN. SOC.

Ad diem 12 Septembris, hora locoque solitis.

EDINBURGI:
APUD MURRAY ET COCHRANE.

1805.

JACOBO LAW,

REGII COLLEGII CHIRURGORUM

EDINENSIS SOCIO,

CHIRURGO PERITISSIMO, ET VIRO OPTIMO,

HOC OPUSCULUM,

IN TESTIMONIUM AMICITIÆ EJUS,

INSCRIBIT

AUCTOR.

" QUIDAM enim breves utique sunt, quia cito vel
" tollunt hominem, vel ipsi cito finiuntur."

CELSUS.

Dr. Ogilvie

with the best wishes of his

friend the Author

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

CHOLERA.

AUCTORE ARTHURO EDMONDSTON.

SECTIO PRIMA.

VETERIBUS bene notus fuit hic morbus, et sanè natura causarum ipsius remotarum, in omni ævo extitisse oportebat.

Obvenit CHOLERA sæpius in tempestatibus calidis, quam in frigidis, et in æstate et autumno, potius quam in hieme aut vere.

Impetus hujus morbi tam generales nonnunquam, et sine discrimine existunt, ut haud immerito epidemicus habeatur. Sed neque observatione aliorum, neque propria experientia, hunc morbum contagiosum adhuc cognovi.

Homo qui modo antea secunda valetudine fruebatur, nausea et languore inopinatò afficitur, instantibus vomitu simul atque alvi purgatione. Materies primò evomita fere aquosa est, sed paulò post cum bile misceri videtur.

Conatus ad vomendum iteratos et ad purgandum, sæpe quidam comitatur sensus, quasi in ventriculo massæ congestæ, cum torminibus ventris, et contractionibus spasticis diversorum musculorum, sed præsertim eorum qui crura flectunt. Musculosæ hæ contractiones interdum valde immanes evadunt, crura ad clunes violenter trahentes; quo fit, ut concidat æger quoties ex lecto surgere conatur. Urget sitis; sed

sed blandissimi respuuntur quam primum devorati fuerint potus, æque fere vehementer ac in *gastritide*.

Primò calescit cutis, pulsus arteriarum fiunt frequentes, doletque caput; sed paucas post horas, si nullum adhibitum fuerit remedium, assiduus vomitus et alvi fluxus gravissimam debilitatem inducunt. Intermittit pulsus, et adeo fit debilis, ut vix digito percipi possit. Languent oculi, et fiunt concavi. Pallet facies, ejusque musculi relaxantur, et vultus talis fit, qualis fere observatur post aliquos dies morbi acuti. Calor infra statum naturalem sensim minuitur. Spasmi frequentiores et violentiores fiunt. Tormina ventris vehementer vexant; sudores frigidi per corpus manant; animo sæpe linquitur æger; et brevì his malis succumberet, nisi idonea adhiberentur remedia; et si idonea tempestivè data fuerint, raro lethalis evadit. "Neque tamen ulli morbo minori momento "succurritur."

Incipit nonnunquam CHOLERA inflatione quadam, vel tensione abdominis, comitante nausea. Post aliquod, tamen, tempus sequuntur vomitus et alvi purgatio Sed quum sic mitior observatur morbus, dolor capitis intolerabilior existere, et diutius manere solet quam in aliis exemplis. Sed etiam post felicissimum eventum, quædam corporis debilitas et mobilitas ventriculi ipsius aliquamdiu supersunt.

Est nihil facilius quam in hunc morbum relabi. Nam si æger incautius institerit pavimento frigido, vel ullo modo semet frigori objecerit, morbum integrabit. Caveant igitur convalescentes, per paucos saltem dies, frigus, vel etiam calorem nimium, omneque genus alimentorum stimulantium, et concoctu difficilium.

Observatu dignum est, CHOLERAM sæpius noctu adoriri. Lectum petit homo valetudine solita gaudens, sed tertia plerumque vigilia somno ab alto violentissima ægrotatione expergiscitur;

pergiscitur; et hoc æque accidere videtur, sive orta fuisset affectio ab acore quovis ingestorum, sive actione causarum generalium et minus evidentium.

SECTIO SECUNDA.

Si ad historiam morbi animum attendamus, vix possibile erit Choleram cum ullo alio morbo confundere. Nam vomitus et alvi fluxus simul concurrentes, spasmi surarum, et debilitas ingens quæ comitatur, absentibus signis pyrexiæ primariæ, Choleram ab omnibus morbis intestinorum facile distinguunt.

SECTIO

SECTIO TERTIA.

Causæ fere omnes remotæ quæ ad gignendam Choleram conferunt, tales esse videntur, quales ut dum ad corpus generaliter excitandum spectent, eodem tamen tempore irritabilitatem tubi intestinalis indirectè adaugeant. Tales sunt, omnes varietates subitæ cœli, eæque per tempestates calidas plerumque obvenientes; ab frigida, in regionem calidam movere, et in talibus locis corpus æque objicere ardori solis, rorique frigido noctis: ab exercitatione sudantem, vel nimiam aquam frigidam bibere, vel se frigida lavare: mutationes subitæ victus, vel alimentorum usus qui consuetudini hominis adversatur: potatio immodica, præsertim liquorum meraciorum, quales *spiritus distillati* vocantur, statim post abstinentiam. Hæ valde communes sunt apud milites, post longam navigationem in terram descendentes.

Sæpe apud infantes obvenit Cholera, planè tribuenda erroribus victus, aut irritationi generali quam ciet dentitio.

Harum omnium rerum naturales sunt effectus, illud subvertere æquilibrium, quod inter vasa exhalantia cutis, faciemque intimam tubi intestinalis intercedere observatur. Et quum antea præter solitum excitatum fuisset corpus, determinatio actionis morbidæ ad ullam tubi intestinalis partem, motus excitabit abnormes in hac parte; et hi motus violentes et generales fient secundum facultatem sentiendi in ea existentem, et pro ratione consensus generalis inter hæc organa, aliasque corporis functiones.

Magnus intercedit consensus inter tubum intestinalem, omniaque corporis organa, sed imprimis superficiem cutis. Subita, igitur, atque vehemens introrsum determinatio, spasticam actionem vel convulsivam ventriculi et intestinorum efficiet. Primò hæc nauseam ciet; sed quum causa excitans valida est, vehementiores brevì ciet motus, veluti vomitum et alvi fluxum violentem.

violentem. Principio rejiciuntur ea quæ continebat ventriculus, et postea liquor aquæ similis ab vasis exhalantibus. Sed consensu generali atque nexu intimo inter hepar, ventriculum, et tubum intestinalem, organa quæ ad formationem bilis conferunt, evolvuntur, et bilis supra infraque erumpit, et tandem omnes corporis functiones perturbantur.

Fluxus bilis, effectus, potius quam causa CHOLERÆ esse videtur; et vehementissimos aliquando vidi hujus morbi impetus, nulla ejecta bile, subsidere.

Sed præter hæc, mera ipsius bilis redundantia non sufficere videtur ad gignendam CHOLERAM. Evomitur bilis quotidie per mensem et amplius, quod in nausea maritima evadit; sed rarò hoc comitatur alvi fluxus; neque huic vomitioni succedit ulla diminutio virium notabilis, et rariùs adhuc spasmos ciet.

Insigne autem existit exemplum huic opinioni generali adversum, quod GREGORIUS noster in

Prælectionibus

Prælectionibus memoravit; in quo brevissima nausea maritima CHOLERÆ lethalis fundamenta struebat.

SECTIO

SECTIO QUARTA.

BILEM diluere et vomitum promovere initio morbi multum commendavit CELSUS. "Aquæ "tepidæ quam plurimum bibere oportet et vo-"mere. Vix unquam sine vomitu sequitur." Et hæc ratio medendi ab seculo ejus maxima ex parte ab omnibus fere medicis comprobata fuit.

Quum manifestè oriatur CHOLERA, acrimonia quadam ventriculum et intestina irritante, potus blandi tepidique copiosè assumpti hanc eluere poterunt omnino, vel eam obtundere, atque ita morbum solvere. Sed quum vehemens fuerit morbus, et ab actione causarum generalium ortus, potatio libera liquorum tepidorum, ventriculum mobiliorem infirmioremque reddet, vomitionem concitabit, et hoc modo bilem violenter emulgebit, et fortasse morbi sanationem impediet.

Ratio

Ratio medendi, quam experientia mihi optimam tutissimamque esse ostendit, est vomitum quam primum reprimere, actionem tubi intestinalis deorsum promovere, spasmosque lenire.

Multum, hoc consilio, ad solvendum morbum prodest, misturam adhibere remediorum purgantium et aromaticorum, et secundæ portioni talis misturæ conjungere aliquod naturæ sedantis. Grana sex pulveris radicis *convolvuli jalapæ*, totidem *submuriatis hydrargyri*, guttæ duæ olei menthæ piperitæ, simul commista, cum syrupo in massam idoneæ magnitudinis et spissitatis formata, fiunt potio adulto homini satis commoda, et primo impetu morbi tutò adhibenda. Si vel unam horam in ventriculo reſtat, vomitionem temperat, et haud raro omnino sistit; et portio, jam dictæ similis, guttis triginta tincturæ opii additis, post horas duas sumpta, bilem deorſum evacuat, spasmos lenit, et multis in exemplis sanationem absolvit.

Aliquando

Aliquando tam mobilis fit ventriculus, ut vix ac ne vix quidem ullam rem tolerare queat; sed mox eam rejicit quam primum devorata fuit. Tum vesicatorium ad regionem ventriculi applicatum optimum est remedium; et egregiè prosunt ad hanc solvendam mobilitatem, lotiones sedantes per anum infusæ.

Si multum vexent tormina ventris, balneo calido uti oportet; et si hoc obtineri non possit, commodum est calida fomenta toti ventri imponere, et ventrem panno laneo involvere, capiente ægro, pro re nata, per intervalla temporis, paululum vini calidi, cum guttis paucis tincturæ opii tempestivè admixtis.

Pacato vomitu, et urgenti site, bibat liberè æger potus aliquos mites et leviter nutrientes, sed tepidos, (nam nocet omnis liquor frigidus). Hæ potiones morbi sanationi tunc temporis multum opitulantur, præsertim si sudorem movent.

Dum convalescit homo, sit diæta ejus ex alimentis facilibus concoctu, veluti oryza, lacte,

pulticulis,

pulticulis, laganis, jusculis ex pullis præparatis, et similibus; nam sæpe indulgentia intempestiva, quamvis levis, morbi reditum inducit. Ad firmanda intestina, viresque eorum solitas restituendas, capiat quotidie convalescens, per aliquod tempus, cinchonam officinalem paululo rhæi palmati admixtam.

CHOLERÆ infantium mistura cretacea *Pharmacopœiæ Edinensis* optimum et efficacissimum est remedium. Et tali misturæ egregiè aliquando prodeſt paululum addere opii, pro ætate viribusque pueri.

Credens cum primò mihi hunc morbum vidisse contigit inflammationem nonnullam subesse, sanguinem mittere decrevi; sed eveniebat res quæ inutilitatem ejus planè ostendebat. Homo CHOLERA laborans, se frigori incautè objecit, et in pleuritidem incidit. Detractio unciarum sanguinis paucarum, quamvis inflammationem pulmonis feliciter sustulit, debilitatem tamen insignem induxit, et affectionem intestinorum pertinaciorem fecit in eo, quam in aliis exemplis.

exemplis. Et sanè, pulsus ille debilis et tremulus qui CHOLERAM comitatur, proſtratio ingens virium quæ tam rapidè insequitur, et spasmi qui accidunt abnormes, usum remediorum infirmantium strenuè prohibent.

FINIS.